



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici
Telemachus**

Fénelon, François de Salignac de La Mothe

Francofurti, 1744

VD18 11007532

Lib. I. Telemachi & Mentoris seu Minervæ eiectio in Calypsûs insulam.
Benignè excepti. Iuvenis propemodum amatus & Mentor Deæ suspectus.
Suscepta à Telemacho quærendi Ulyssis genitoris sui ergò ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)



Reverendissimi ac Illustrissimi DD.
Francisci Fenelonii
TELEMACHUS.

LIB. I.



Alypso spem solatii cum Ulysse amiserat. Incusabat fatum misera, quòd non posset mori. Horrebat tristi silentio, in qua considebat, specus. Nec famulæ (Nymphæ erant) verbò interpellare solitudinem dominæ ausæ. Quoties submotis arbitris ambulantiem acceperat distinctus floribus cespes, qui æternas Veris delicias circumfundit insulæ ! adeò nihil ex loci facie mitigatis eius doloribus, ut etiam crescerent, subeunte Ulysse tristem memoriam, quem millies hìc affata est. Quoties inhæsit littori, statuæ similis, nisi quod lacrimas funderet eò defixis oculis, ubi Ulyssis navigium, fluctibus lapsum, videre desierat ! Cùm fragmenta naufragiò collisæ navis aspexit. Laceratæ nautarum sedes & remi erant, quos in arena procella disperferat. Gubernaculum, velis spoliata pinus, rudem.

A

rudem.

rudentes carpebant littus. Longiùs emittit Dea oculos. Homines duo venêre in conspectum, quorum alter senis præferebat, alter Ulyssis speciem, in eo quanquam Iuvene agnoscendam. Quippe oris par lenitas & virtus eminebat; par corporis habitus, & qui Regem deceat, gradus. Nec latuit Deam, Telemachum esse, ex Heroë, quem amaverat, genitum. Hominem autem ætate venerabilem & comitem, quis esset, quanquam Dea, cognoscere haud potuit. Minerva comitabatur Iuvenem Mentoris habitu; quæ quia latere volebat, frustravit Calypsûs eam cognoscendi studium. Quippe maiora Numina, quæ libet, Deorum minimos celant. Ceterum quòd nec oris nec corporis habitu dispari patri filium expulissent fluctus, admodum læta Calypso, imminebat Iuveni, & peregrinum intuentis specie: Quæ te huc, inquit, temeritas? Scias licet, neminem hæc impûne contingere littora. Ferociùs hæc dixerat, ut falleret intuentes gaudium, quod vel ex invito Numinis ore promicabat.

At ille: O! quæcunque es, seu rogari tantùm, seu (quod species suadet) adorari etiam te fas est: miserere filii, quem per agitata ventis maria quærendi genitoris amor traxit; ad cautes afflicta navis destituit. Hic sciscitari Dea patris nomen. Et ille: Ulysses est, ex iis Regibus, qui decennalis belli caput, Pergama, vastârunt, illustre, & a pugnandi virtute & ab idoneis consiliis per omnem Græciam Asiâque venerandum nomen. Iaciatur modò, quàm longè fluctus immensum æquor agit, & cum immanibus scopulis luctatur. Credas ab ipso recedere, imò fugere patriam. Et Penelope, cuius toro se dicavit, & ego, quem genuit, desperavimus
redi-

reditum. Ego ut cognoscerem, ubi nunc versaretur terrarum, ejus in pelago errores sectabar. At quàm metuo, esca piscibus ne sit, undis haustus, & genitor & altor meus! miserere sortis nostræ; & siquid, Diva, nôsti, seu servare Ulysssem seu perdere fata decreverunt, filium doce.

Mirari Calypso tantum in Iuvene vegeto ingenium et facundiam: moveri deinde & in contemplationem ejus effundi: tacere. Ad ultimum: quæ parenti accidere, Telemache, te ignorare haud patiar. Sed plura sunt, quàm commemorari nunc queant. Tot fatigato molestiis magnopere necessaria quies est. Sequere ad sedes meas ducentem te. Has paternis futura mater substituo. Huc ades, solitudinis meæ solatium! & si fortunæ scias beneficiis uti, mitiores ejus futuras per me vices crede.

Premebat igitur invitantis pedem Iuvenis. Nympharum comitatus erat, ætate florentium; inter quas illa toto vertice superior, velut inter humiliorem sylvam elata cedrus eminebat. Pro-na ad fulgorem, Deæ species, palla purpurea oblongaque & permixta ventis; capilli aptè quam sine lege retrò intercepti, ignea vis luminum, ex oris lenitate facilior, Telemachum suspenderant; perseverante in oculorum & silentii modestia Mentore ac legente vestigium.

Ventum erat ad introitum, qui antrum Calypsius aperit. Obstupuit Iuvenis, cum videret exteriorem speciem loci, à simplice vitam rurû agentium cultu nihil abhorrentem, universas oculorum illecebras obiicere. Non auro, non argento crescebat hîc pretium: non ex Paro marmora non ex

Corintho fulcra surrexerant: neque effictæ seu penicillô seu scalpro imagines commendabant locum. Simplex labor incisum rupibus antrum ita curvaverat, ut sinus ejus frequentes scrupuli distinguerent; conchylia ornarent. Pubescebat vinea, quæ tenellas vites palmitésque justa ordinis religione quaquaversus explicaverat. Frigora lenes Zephyri efflabant, opportunum & perpetuum adversus largiorem Phœbum solatium. Libabant auras fufurri, quos evecti per amarantis violisque descripta prata jucundè movebant rivuli; passimque exesis alveolis balnea iidem lavandis artibus præparaverant, nihil eò, quod in crystallo commendamus, inferiora. Florum innumerabilis multitudo, qui enascentes inter gramina circumjectum divinis sedibus pingebant solum, palatiis agrestem hunc cultum invidentibus ruri. Sylva quoque in conspectu sita, aureos fœtus enitebatur, flore, in quem destinatis anni temporibus se induit, nares afficiente ad illecebras. Coronam eam dixisses, quam benignior natura pratis imposuit, ut foverent umbræ, Phœbi etiam radiis prævalitura. Sylvestri solitudini nihil præter cantus avium obstrepebat rivique gemitus, qui præceps è scopulo, atque ex lapsu spumosior erumpebat in campum.

Quà se ad planiora collis demittit, Calypsus diverforium erat, oppositum mari; quod aliàs liquidum, & glacie videbatur rigere, aliàs ferociùs inhorrescens illisum rupibus & cum atroci divisum sonitu inde referebat sese, concitatis antea fluctibus ac in sublime prodigioso tumore evectis. Maris sinum respicit alterum latus. Enascuntur in eo insulæ virentibus tiliis & populis, cælo audaciùs
suc-

succrescentibus & cingentibus ripas. Multi amnes (unde infulis species) manant, quos certare lusu crederes aperto campo, quem fecant. Torrentes aquas rapiebant alii; alii segnes trahebant & velut oblitus itineris. Quidam torti longiore flexu redibant, & riparum, inter quas defluunt, amore retenti fontes suos videbantur repetere. Editi colles montiumque juga longius recesserant, immerfa nubibus. Admirabilis eorum species extremis apicibus, primoque, qui iis incumbit, ætheri spectaculum affinxerat, par capacissimæ oculorum cupidini. Qui propius accessere montes, frondosas & nondum adultas vites ostentabant, commodè substrictis frondibus arborumque fœtibus, quos humana manus fingit, similes, ordine, quo descendunt, artis industriam imitante. Pallere vidisses ad uvarum nitorem purpuram, quem objecta folia necquidquam dissimulavere. Fatigabat vineam fructuum, quos edidit, copia. Diffusæ arbores varia specie. Illæ stillabant oleo: illæ ficus, illæ mala punica gignebant, aliæque, quorum à natura acceperant semen, prato, in quo erant, ingentis horti speciem conciliantes.

Neque has naturæ opes aut universas aut singulas Dea celavit Telemachum. Ad quem tum denique: Respira, inquit. Vestimenta madent, quæ mutare iam est opus. Redibo. Audies ex me, quæ tangant animum. Simul hospites iubet succedere in regionem antri cuiusdam intimam, postremamque, nec à sede Numinis remotam. Ardebat ibi focus, quem interea Nymphæ fuscitaverant, multa in eum congesta cedro, quæ tenerrimum illicium ubique afflabat naribus. Vestes item paraverant.

Tunicæ duæ Telemacho attributæ, altera nive candidior, molli lana, & descensura ad talos; altera nirebat purpurâ auróque. Quorum ille aspectu lætari, & mente pro eo, ac Iuventus solet, cùm grandia videt, efferri.

At increpantis voce Mentor: Ergóne, inquit, hi sensus animi occupabunt Ulyssis filium? id potiùs age, ut protrahas genitoris gloriam & vincas, quæ te odia sinistrae fortis premunt. In rudi meretur vulgo fordescere Iuvenis, viliorem sexum cui libet in colendo corpore imitari. Molestiis par & voluptatibus superior animus sedes una est & digna gloriæ.

Excepère tam grave monitum Telemachi gemitus: In Stygem me demergant Dii priùs, quàm in mollitiem, in voluptates hunc animum ego. Nunquam mehercle frangent humiles & effeminati mores Ulyssis filium. At ô ingens ab Astris beneficium, quòd huic seu Divarum seu mortalium piissimæ nos obtulère post naufragium!

Quin nullum non ab illa damnum time: ita Mentor. Fallit ejus amicitia, fugienda præ scopulis, qui navem tuam perdidère. Naufragia ipsaque mors, quàm voluptates terroris habent minus. Virtutem illa, hæ virtutem oppugnant. Mendacia crede, quæ loquetur tibi, vel mendaciis affinia. Tumor Iuventutis animus, & captat inania. Spes de se ingentes nutrit. Infirma est; neque tamen putat se aut arduis imparem, aut periculis exponi. Credula deinde est & incauta futuri. Cave blanditias & verba dulcia, quibus aures tuas studebit imbueri. In herba latens anguis est. Venenum, quod non vides, time. Ingenium tuum suspectum habe. Cave, me non consulto quidagas. Ad

Ad Deam tum inde regressi, paratam invenere. Compositi crines candidæque vestes adornabant famulas. Ab his continuò illatum epulum, non magnificentum, non sumptuosum; ceterùm commendandum à gustu, & instruentium industria. Avium ferarumque carnes fuere in cibum, illæ retibus, hæ Nympharum iaculis exceptæ. Dulcissimum vinum erat, quod argenteis emissum vasis redimitæ floribus phialæ ex auro ministrabant in potum. Calathis allatæ fruges. Nullum earum desiderabatur genus, quod seu Veris promittunt tempora, seu Autumnus gignit. Cantui se quatuor Nymphæ accinxerant ex adolescentioribus; quæ accepto signo non unius generis argumentum numeris celebravere. Iam pugnabat cum Gigantibus Iupiter, amabatque Semelem: jam Bacchum deponebat, femoris partum, Sileni educandum magistrion: jam ad cursum provocabat Atalantam Hippomenes, pomis Hesperiiis, quàm pedibus suis, magis debiturus victoriam. Postremò Troiana bella canentium modulis affecta; præliâque Ulyssis & prudentia consiliorum eius non tam celebrata, quàm elata ad sidera, Leucothoë (Nympharum, quæ canebant, hæc caput erat) ad vocales delicias cæterarum lyrae sonos adiungente. Expreferat Telemacho lacrimas Ulyssis nomen, vultu ad novum formæ incrementum dispersas. Cibi quoque desiderium hebetaverat dolor. Quod ubi Calypso advertit, datò signò monitæ Nymphæ ad Centaurorum Lapitharumque pugnam, deinde ad Orphei iter, ad Inferos susceptum pro liberanda Eurydice, numeros strenuè transtulerunt.

Solutò conviviò Juvenem seorsum trahens Dea:

A 4

Quàm

Quàm benignè te, inquit, magni Ulyssis genus, excipiam, vides. Dea sum. Mortis adhuc obnoxium legibus non admittit, quam colo, insula. Nec ipsum, quod subiisse te scio, naufragium exemisset supplicio, nisi te aliunde amarem. Sed recipit te, quem (ah! male) reliquit pater tuus, fortuna finu. Diu illum mea fovebat insula, ubi volentilicuiisset mecum immortalitate potiri. At miseræ patriæ inconsultus amor spreuit hæc commoda. Hæc gaudia, has delicias (quas & sentis & vides) illi eripuit concitatum, quanquam obnitentibus fati, Ithacæ desiderium. Ille spectare, ille arripere fugam. Sed vindicavit procella Numini illatam injuriam. Quæ illum hinc vexit navis, diu ventis ludibrium, fluctibus denique hausta est. Miserabilem hunc casum, quid agas, consule. Naufrago patre quid speraveris filius? non patris aspectum, non Ithacæ Imperium.

Ergo amisso eo præsentis fortunæ solatium habe, Numen esse, cujus voluntate fortunatissimus, cujus dono Rex sis. Plurima deinde subjunxit, ut ostenderet prolixè dictis, Ulyssi nihil non tribuisse fortem, cùm in insula fuisset. Quæ in antro Polyphemi, quæ in aula Lestrigonum Regis (Antiphates erat) contigissent Patri, referebat. Nec Circes Solis filiaë monstra omisit, & quibus Scyllam inter & Charybdim periculis sit functus. Immisam à Neptuno intolerabilem tempestatem, cùm desereret ipsam, denique repræsentabat animo, ut fidem Iuveni faceret, genitorem periisse, astutè celans adventum eius in Phæacum insulam.

Telemachus ipsa initia benignitatis, qua exceptus à Numine fuit, immaturo gaudio celebraverat.

rat.

rat. Sed castigatus à Mentore, nunc demum agnovit blandientis astutiam, & quàm utilia comes fuisset. Itaque obiter respondit: Indulgeret dolenti. Absorbuisse luctus animum. Futurum aliàs (quod speraret) ad sentiendam magnitudinem fortunæ, quæ offerretur, aptiorem. Pateretur in præsens deslere, à quo meminisset se genitum. Scire se, ipsamque luculentius, quantum mereretur lugeri.

Illa tum quidem non ausa urgere afflictum, communes etiam & instauratos ob Ulysssem luctus fingit. Ceterùm ut rectius cognosceret, quæ præ reliquis penetrarent juvenilem hunc animum, super naufragio, quod fecisset, multa interrogat, quique huc terrarum ipsum egissent casus. Iustò prolixior erit, ille inquebat, fortis meæ commemoratio. Dea id semel iterùmque negare, ardere desiderio audiendi, & maturaret verba, exigere: etiam atque etiam tergiversari juvenis. Victus tandem rogandi pertinaciâ, hunc sermonem est orsus.

Reverfos à vastatis Troianis Principes aditurus, ut siqua de Ulyssse cognovissent, percontarer, ex Ithaca discesseram. Ea res admiratione suspendit Penelopes procos, quorum quia comperta mihi erat perfidia, profectioem illis meam studiò celavi. Ceterùm neque Nestor, quem Pyli conveneram, neque Menelaus, quem Lacedæmone salutavi, & cujus multa fuit in me humanitas, edocere potuit, viveretne adhuc genitor? jamque fatigaverant me dubii incertique nuntii. Siculos ergò decrevi, quoniam patrem eò abreptum ventis esse dicebant. Temerè destinatis hic præsens Mentor haud temerè restitit. Cyclopes, qui atroci & procero corporis habitu leges humanæ staturæ,

naturam esu carnis humanæ violarent; Æneæ quoque naves cum classe Troianorum in Sicilia hærentes referebat. Troiani, inquit, efferatum Græco nomini genus, quàm non inviti perderent tuum utique, Ulyssis filii, caput! Ithacam repete (nam etiam hoc suadebat.) patrem tuum amant Dii. Fortè ambos patria eodem temporis articulo excipiet. Quodsi nec illum vivere, nec redire ad suos velint, repetenda tamen est Ithaca, ut habeat in te vindicem genitor, liberatorem genitrix, oraculum populi, argumentum Græcia, Ulysses dignum hæredem coronæ, quam tantopere honestâsset, reliquisse. Hoc salubre consilium sprevit imprudens, & quem cupiditatibus permiseram, impos sui animus. Ceterùm perseveravit eximia Mentoris charitas, qua me diligebat. Quippe & temerè & dissuadente ipso proficiscentem sequebatur. Permisère errorem Superi, ut resipisceret castigata temeritas.

Calypso ab ore loquentis Telemachi oculos in comitem ejus transtulerat, turbatò animò, rata, nescio quid Numinis in illo deprehendisse. Deficiente, quod dubitationem eximeret, hæsit ad ignoti hominis aspectum plena metu & suspicione; nihil perinde tunc verita, atque pavorem ne proderet. Igitur ad Telemachum reversa vultu: age, inquit, quæ novitatis cognoscendæ avidam delectent, prosequere. Tum ille:

Secundis ventis longiùs vela navem provexerant: cùm subducto atris nubibus cælo repente in navigantes spissa caligo incubuit. In eodem discrimine alias quoque naves, eâsque Æneæ esse conspeximus, cùm emicarent fulgura. Ergò &
ab

ab iis & à scopulis par metus erat. Tum verò salubris consilii, quod Mentor dederat, ratio ad animum tota quanquam ferò pervenit, à cuius justa aestimatione me stolidè ferox ætas abstraxerat. At ille tanti periculi non intrepidus modò fuit, præsentique animo, verùm solito etiam lætiore. Idem me erigebat torpentem: inspirabat (quod sensi) invictas vires: turbatòque magnitudine mali gubernatore placidè dispensabat negotia. Ceterùm ego: ah! dilecte Mentor, aiebam, ah consilium cur neglexi tuum? infelicem me, arbitrio meo hac ætate qui obsequor; hac ætate, quæ nec prospicit futura, nec sapit ex præteritis, nec rite intendit sollicitèque præsentibus! ùt ego, huic si discrimini superstes sim, arbitria mea ceu sanguinolentas inimici solertias damnabo! ùt uni Mentori meo habeo fidem!

Subridebat ille, &: Errorem, quem errasti, inquit, verbis non multabo. Satis est, agnosci à te, futurum aliàs ad moderandas cupiditates frenum. At succedet, quod vereor, eadem agendi temeritas superato periculo. Nunc animis, ut servemur, est opus. Prospiciendum & timendum est futurum discrimen; præsens contemnendum. Dignum ergo Ulyssis te filium ostende, & superiorem malis, quæ minantur, animum.

Rapuit me viri iuncta cum fortitudine lenitas. Ceterùm majori postea admiratione ingenium ejus prosequerbar, quo è manibus Troianorum evasimus. Liquidior lux apparebat cælo, & propiùs nos turbo admoverat, quàm ut non facilè ab hostibus licuisset agnosci: cùm navem Mentor aspexit, nostræ admodum propinquam specie, & vi
tem-

tempestatibus aberrantem à reliquis. Florum quoddam genus erat, quo puppim eius ornaverant. Protinus & ipse coronas floresque, à Troianis nihil diversos, affert, atque averſæ à prora parti annectit fasciis etiam ipsis colorem imitantibus. Tum remiges, quantum possent, pronum corpus iussi in transtra demittere, ne conspecti ab hostibus noscerentur. Hac ratione in mediam hostium classem recipimur. Quo illi viso lætari, clamorem tollere, veluti intuentes socios, quos periisse crediderant. Porro diutius in hoc discrimine detinebamur, maris intemperie eodem, quò Troës tendebant, vela nostra auferente. Tandem de industria segnior cursus nos à triremibus hostium modico intervallo seiunxit. Qui dum Africam versus propelluntur tempestatum impetu, nos vi, quanta humana poterat esse, adhibitâ remis institimus, ut ad propinquam Siciliae oram navis appelleret.

Et verò appulsa est. At par fuit ab iis, tum quos fugimus, tum quos quæſivimus, periculum. Alii ibidem ex Troianis occurrerunt hostes Græcorum. Siciliam Acestes senior, relictis Pergamîs, tenebat. Vix in ripam evasimus; cum incolæ suspicantes, nos cum armis aut ex eadem, aut ex diversa gente ad opprimendos sese appulisse, primo furoris abrepti impetu, ignes navi nostræ iniiciunt, comites cædunt. Mentori & mihi pepercere, ut Rex, cui nos sistere decreverant, unde & quo consilio venissemus, cognosceret. Vincit igitur post tergum manibus abstrahimur à littore: ducimur, fato superstites scilicet in crudelis populi, si nosceremur, spectaculum.

Itum

Itum continuò ad Acesten. Aureum sceptrum erat, quod tenebat manu, cùm ius distribueret populis; & fortè tum in procinctu stabat non communis sacrificii. Ille haud otiosè interrogare patriam & itineris consilium. At imminens responso Mentor, ex Hesperia, cui vicina esset natalis utriusque terra, nos dicebat venire. Sic declinatum ab illo Græciæ patriæ nostræ nomen. Ceterùm plura tyrannus non audit, certus, nos advenas esse, qui celarent consilium. Igitur in vicinam sylvam ambos iussit abduci, facturos inter Regii pecoris custodes ea, quibus mancipia assuevissent. Hæc fors morte acerbior mihi visa. Itaque elata voce concitatus provocabam, mori potius iuberet nos Rex, quàm ad tantam vilitatem descendere: En Telemachum sagacissimi Ulyssis, cui Ithaca subest, filium! patrem, quàm maria possunt adiri, quæro. Quodsi nec ille, nec patria, nec à servitute immunitas mihi dabitur, exue vitâ, cuius miseriam non fero.

Nec mora: tumultuari ad hæc audita populus, perstrepare clamore, eliminandum è vivis hominem, quem crudeliter astutus populator Troiæ genuisset. Et Acestes: Litandus est, inquit, tuus, mi Iuvenis, sanguis tot Troianorum manibus, quos ad nigras Cocyti ripas detrufit, à quo tu sanguinem. Morieris cum duce tuo. Inter hæc progressus è concione vir provectæ ætatis, suadebat Regi, ut supra Anchisæ sepulchrum iuberemur mactari. Pii Herois manibus, inquit, iucundas inferias dabit hostilis cruor, famamque huius rei Natus sibi gratulabitur, cùm, quantum ames unas suas quondam in orbe delicias, hoc argumento discet. Voce
nutu-

nutūque ab omni concione probatum consilium. Omissa omnia præter inhumani sacrificii apparatus. Itur ad destinatum feralis victimæ locum. Aræ duæ erectæ, in quibus sacros ignes excita-
verant, ingens nostris videntium oculis tormen-
tum. Floribus coronaverant morituros. Frustra
requirebamus misericordiam; actūque de nobis
erat: cū Mentor, ne in illa quidem sorte motus
tranquillo, cui assueverat, animo, postulata copia
loquendi: Si te, Rex, inquit, nec adolescentis nec
à Troiana cæde innoxii Telemachi fortuna mo-
vet: at moveat saltem tua salus. Præfagientis ani-
mi cognitio, quam de ominibus & voluntate Deo-
rum habeo, species mihi admovet imminentium
rerum. Tres non abibunt dies, cū Barbari te
oppriment, qui torrentium instar aquarum ru-
entes de montibus urbem inundabunt tuam, re-
gnūque pessum ibunt. Maturatō opus est. Arma
subditum, & qua potes celeritate, ex pascuis re-
ductum in urbem numerosum pecus coge. Quod si
fallet hæc à Diis profecta denunciatio, tres intra
dies nos, si tibi libitum, cæde. Secus memento
dare vitam iis, qui servârunt tuam.

Terruit Regem divinantis inusitata constantia.
Itaque: Dii, inquit, ut adverto, compensant for-
tunas, quas parcius tribuere tibi, donō potiori
sapientiæ. Quibûs dictis mora sacrificii imperata,
& quæ occuparent futurum malum, diligenter
disposita. Timore pallentes feminae, pavidique
viri, quos olim exacta ætas nunc gravior metus
curvabat, rure profugi cum liberis squallentibus
fletu, impleverant urbem. Ibant boum greges
oviūque suisque vocibus confundentes auras,
&

& depulsi ab ubere pabulo errabant deficientibus stabulis, quibus reciperentur. Agebatur passim incertus fremitus multitudinis, cum alius alium impelleret, alius alii frustra sermonem sociaret, alius communi perturbatione errorem adiuvante ignotos etiam appellaret amicos, alii denique nulla ducente itineris ratione discurrerent. Nobilissimus quisque civitatis, quoniam puduit sentire cum vulgo, criminabatur Mentoris fidem, eumque à pœna velle expediri divinandi mendacio.

Inter has cogitationes nondum triduo absumpto, pulveris nubes, qua vicini montes descendunt, efferri visa. Subinde ingens barbarorum multitudo cum armis conspecta est. Himerii erant, effera gens, adjunctis, qui montes, quos Nebrodios vocant, & Agragæ jugum colunt, perpetuo rigentis gelu. Abacta ab hostibus illorum greges & mancipia, qui vaticinio non habuere fidem. Ad quæ Acestes: Ego verò, Mentor, inquit, patriæ vestræ ignosco. Aliàs hostes, nunc amici nostri estis, consilio Deorum huc profecti, ut salvemur. Et nunc, credo, quantum cognitio rerum & consulendi prudentia, tantum auxilii nobis virtus tua præstabit.

Et sanè emicuit ex Mentoris oculis ea præsentia animi, ut belli audacissimus quisque obstupesceret. Scutum, galea, ferrum & hasta arma erant. Quibus ipse sumptis Acestæ militem disposuit, & ante prima signa ingressus, hosti servatis ordinibus admovit. Regem quoque subibat discrimini par animus: ceterum hac ætate non poterat nisi longo intervallo Mentorem sequi. Proximus ego
idam;

ibam; at quantum ab virtute eius remotus! Credidisses lorica[m], qua tegebatur, vim Ægidis induisse. Ferrum, quod strinxerat, in alios atque alios hostium ordines diffundebat ruinam. Videbar mihi leonem videre ex Libya, quem in imbellem gregem abripit famis atrocitas. Dilaniat: mactat: grassatur stagnante cruore, trepidantibus & dilabentibus metu, quos ab hoste oporteret prædam vindicare.

Turbavit ea res Barbaros: quippe imparatum incolam opprimendi fiducia venerant. Et ille quidem Mentoris exemplo verboque confirmatus ipsa spe sua maioribus animis arsit. Ego filium adversarii Regis hastâ delecti. Hic ut ætate par erat mihi, ita corporis magnitudine præstabat; quippe natalem ad Gigantes referens, cognatum Cyclopibus genus. Pygmæorum è tribu censebat hostem, meis duntaxat viribus congressurum. Ego verò nec inusitato æmuli robore perterritus, nec efferis & ab homine multum abhorrentibus moribus, intortâ pectori hastâ eum percussi, ut liquentem animo ingentem vim atrii sanguinis evomeret; pronusque in lapsum nitebatur victorem obterere. Strepitus armorum corruentis ipsos adeò montes concusserat. Demptis cæso hosti, quæ verti poterant in prædam, retrò ad Acesten concessi. At Mentor, disiectis ordinibus, ultima clade hostem affecit, fugientes ad saltuum confinia persecutus.

Effecit ancipitis mali tam non malignus eventus, ut Mentorem velut dilectum & illustratum à Diis hominem adorarent. Acestes gratias nobis habebat, asseverans, extrema se nobis metuere, si
naves

naves Æneæ repeterent Siciliam. Itaque instructo navigio, quo sine cunctatione reveheremur in patriam, donisque cumulatōs etiam urgebat festinare, ut malis imminentibus, quæ prævidebat, nos matura profectio eriperet. Ceterum nec regi, nec promoveri per suos navem voluit, veritus, ne in maritimis Græciæ oris apertum discrimen adirent. Ergo Phœniciæ mercatores destinati ad opus, futuri extra periculum, quoniam commercii iure universis gentibus miscerentur; iussique perfectō negotiō navigium, à quo accepissent, reddere. Verum Diis, quorum arbitriovolvuntur hominum sortes, alia discrimina capitibus nostris decreverant.

TELEMACHUS. LIBER II.

Sesostrem Ægypti Regem, & tot gentium victorem Tyriorum insolentia offenderat. Quippe & auctis mercimonii industriâ opibus & Tyri urbis maritimæ (quam cum fama, expugnari non posse, colebant) elati viribus, imperatum ab eo post victorias tributum recusabant. Germano quoque Regis, cum reversum eum per ipsam solennem cujusdam diei lætitiâ decrevisset cedere, paraverant auxilia.

Tantæ audaciæ imperaturus Rex, constituit, ne libero mari usquam eorum merces commearent, impedire. Ergo missæ naves, ubique rebellibus infestæ. Ex his erant, quæ nobis occurrere, cum paulatim montes Siciliae requirerent oculi. Fugere à nobis portum terrasque credebam, & evadere in nubes. Ac tum quidem hostium classis appropinqua-

B

pinqua-